

& electio ad nos, qui fidem habere, vel habituri eramus, determinatur.

67. Fidem habituri eramus, addidimus. Non enim id tantum de applicatione Electionis, quæ in tempore fit, intellectum volumus: sed de ipsâ electione, quæ apud DEUM facta est, antequam sunt fundamenta mundi iacta, loquimur.

68. Nam licet homo, & consequenter fides eius, tum nondum extiterit: per præscientiam tamen divinam & homo & fides hominis DEO ut præsens, atq; ita voluntas DEI consequens ad hominem aliquando futurum & crediturum potuit sese determinare, eumq; eligere. Atq; hoc est, quod dicit Apostolus Rom. 8. v. 29: *Quos præscivit (scilicet credituros in CHRISTUM) hos & prædestinavit.*

*Fidem esse medium & causam nostræ electionis probatur.* 69. Quod autem fides sit medium & causa quidem nostræ Electionis, probatur manifestis Sacra scripturæ testimoniis. Johan. 17. v. 20: CHRISTUS inquit: *Non oro pro his (hoc est Apostolis) tantum, sed & pro illis, qui per sermonem illorum credituri sunt in me.* Act. 13. v. 48: *Crediderunt, quotquot ordinati erant ad vitam eternam.* 2. Thess. 2. v. 13: *Elegit vos DEUS ab initio ad salutem, per sanctificationem Spiritus & FIDEM veritatis.* Jacob. 2. v. 5: *Nonne DEUS elegit pauperes hujus mundi, divites in FIDE.*

70. Fides autem hinc perseverare debet usq; ad finem vitæ juxta illud Matth. 10. v. 22. Item 24. v. 13: *Qui perseveraverit usq; in finem, hic salvus erit.* Et Hebr. 3. v. 6: *Sumus domus Dei, qui fiduciam & gloriam spei usq; ad finem firmam retineamus.* Et Coloss. 1. v. 22: *Exhibebit vos sanctos & immaculatos & irreprehensibiles coram ipso, si tamen permanetis in fide fundati, & stabiles & immobiles à spe Evangelij.*

71. Ca-